

1) vrgl. I. Brief 10.  
 1520 Juni 11? K. Grebel II 326 Nr. 230  
 1520 " 17. J. Singrenius 197. III 198 Nr. 60  
 1520 " 19. J. Appenzeller 199 " 61

Ulrich Zwingli<sup>1)</sup> an Vadian.

Zürich. 1520. Juni 19.

Erwähnung eines Briefes Vadians an Dorpius, der als ein ehrgeiziger Mensch geschil-  
 dert wird. Empfehlung des Glareanus. Versprechen, Vadian Bücher, die er gewünscht, zu-  
 zuschicken. Beurteilung der Schrift De Ecclesia Caput. Die Tätigkeit Ecks in Rom. Spott  
 über den Bruder Casæus. Einladung zu einem gemeinschaftlichen Besuch des Erasmus in  
 Basel. Grüsse an Bekannte.

Vadiano suo Zvinglius S.

Transmisi Basileam tuam ad Dorpium epistolam, Ioacime  
 doctissime et carissime, altera mox die ab ea, qua acceperam. Bene vor-  
 tat. Aiunt enim hominem esse cothurno versatiliorem; ita quibusdam om-  
 nis est angusta nimis gloria, nisi summi habeantur. Torquet nimirum ho-  
 minem splendor Erasmicus, a quo tamen posset lucis plurimum mu-  
 tuare, si gloriam, quæ a deo est, quæreret; quod quia non facit, torquetur  
 invidia et fame gloriæ haud secus quam Iudæi, qui quod gloriam huma-  
 nam anxie quærerent et ob id in perfidia perstarent, à Christo merito au-  
 dierunt. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis et  
 gloriam, quæ a solo deo est, non quæritis, quæ nimirum humilitate et sim-  
 plicitate in cælis, non hic comparatur? — Glareanus optime tibi precatur,  
 iterum atque iterum se tibi commendans; nam quod ad Basiliense stu-  
 dium attinet, non nihil est, quamquam in herba res adhuc hæreat; bene ta-  
 men speramus. Libellos curabo, quos cupis, ut habeas quandoque. Rem  
 autem facite et christiano viro dignam, si festis diebus in his lectitan-  
 dis verseris magis, quam in cursibus istis et frigidis et desidibus; nam  
 Christianum oportet hominem non ut ethnicum summam in multiloquio

I em

I (h)

Hies

spem ponere, sed in vitę integritate, quę cum caritate dei primum, deinde et proximi coniuncta est; quam nullibi tum felicius<sup>a)</sup>, tum facilius assequemur, quam dum huiusmodi legimus, qualia tu petis, in quibus et Pauli et sanctorum patrum non modo spiritum spirare percipis, sed et ignem charitatis flagrare sentis, quo demum ipse afflatus ita ardeas, ut et alios accendas et illumines. — Libellum Hussitę, qui De Ecclesia Caput inscribitur, vidi et secretario nostrę urbis commodavi, ut iam non facile fuerit ad illum recurrere; at quantum primo gustu unius aut alterę paginę potuimus assequi, videtur esse haud ineruditus et hominis esse, qui supra suę etatis alios eruditione antecelluerit. Quamquam quid opus est, iudicium nostrum scribere, cum tamen cum eo nobis res sit, cuius potius iudicium debeamus expectare quam ferre? Sed natura forsán comparatum est, ut, quę nobis maxime placeant, tum sint maxime placitura, cum eorum quoque calculus accesserit, qui, ut sunt inferiores, non sunt etiam ita ab eodem instituto alieni, ne scilicet nimium sibi quivis fidat. Ecce quantum tuo in nos animo fidamus. Ecce us Romę sit, bullas excitet, et his maiores persecutiones. Bullę tamen erunt, etiam si ad eos usque pertineant, qui illis sunt indignissimi, quod didicerint scilicet eos contemnere, qui corpus occidunt. — Frater Casęus (nam caseum haud decorum est adpellari) valeat cum suis nugis; ego enim eas nauicifaciam. Quapropter tu quoque hominem ita tractes velim, ut plane videat, et se et sua contemptum iri, si vulgaverit. — Erasmus nondum Basileam venit; mox autem, ut venerit, rescies et tecum consultabis, anne velis cum domino administratore ex Eremo et Francisco, Utingero, aliis, nobiscum Basileam ad illum descendere; id quod illis constitutum iam est, ubi ille venerit. Novarum rerum haud quicquam est, quod te magnopere scire cupiam, quam quod Helvetiis omnibus male timeo, studiis ita in diversa tractentibus; at hoc non novum nec apud te inauditum. Margarita Zilina, soror nostra in Christo, salva optetur nostro nomine. Meditor quotidie aliqua ad hominem scribere, sed vetant negocia quotidie. Opto te, frater in Christo, cum uxore semper bene valere; salvi sint amici tui omnes et mei. Ex Tiguro, XIX die Iunii MCCCCXX.

Ioacimo Vadiano, viro doctissimo et amico integerrimo.

a) „e“ geschwänzt.

l) Vrgl. I, Brief 100.

1520 Juni 19. J. Ager III 200 Nr. 62